

nec ego negare audeo, sed de origine quæritur veneri fermenti: si corruptioni enim diversorum in una eademque matrice seminiarum, morbus ortum debeat; non video, quomodo vel olim in Græcia, vel postea Romæ in isto luxu & in tanta nequitia perditorum morum ignorari hæc lues potuerit, vel illis esse magis quam nobis occulta?

Sed ne Lectori prolixitate displiceam, reliquos breviter persequar. Leoniceum ex inundatione Tiberis tempore Pontificis Alexandri VI. causam ortus colligisse, cum anno sequenti fuerit lues secuta, deprehendo, licet antiquis hunc morbum cognitum fuisse, credat. Philologus hunc in modum explicat: fuisse nempe in Gallorum exercitu, positus ad Rapalum Januensium locum castris, militem, qui, postquam divi Lazari Xenodochium, interfectis infirmis abreptisque & unico solum denario aureo divenditis lectis & culcitris, diripisset, ulcus in palmæ manus medio de repente divino miraculo exortum sensisse, totum corpus deinde pustulis cooperientibus. Campegius etiam, ex ira Divina Europæis hunc morbum esse immissum statuit, non aliter ac olim Israëlitis libidine peccantibus varia mala accidisse, ex Sacris colligitur. De hisce causis Fernelius, (d) clarus Medicus, sed libere nimis, ut inter Pontificios degens, sequentem in modum: *Mira statim tam horrendum affectum superstitio excepit, indoctis quibusque hominibus & mulierculis ad Divos, nescio quos, vota sua referentibus, opemque ab iis poscentibus.*

Proxime hos excipiant, qui ad Planetarum influxum sese converterunt, nec aliter, ac Romani olim Deam Februam cælo oriundam, sic & hi luem Veneream è stellis quasi delapsam susceperunt: communi mortalium vitio, quo lubenter culpam urgentium malorum remove à nobis, rejicere in alios solemus. Primus autem hic nominandus est Pinctor: (e) hic enim, quemadmodum Luem Variolarum quandam esse speciem, credidit, illas vero in alimento, uti appellat, menstrualis residuo fundari; ita morbi Gallici mineram in ejusmodi

B 2

modi

(d) Lib. d. Lue Vener. cap. 2. (e) d. Tr. cap. 2. & 4.